prae foribus sedentes, quod in continenti esset adfuturus. Est enim sacrae illius ecclesiae aedituus homo sarracenus, qui a suo patre custodiam illius ecclesiae haereditavit, cui hoc, quod subjectum est, accidit: Sarracenus ille, scilicet pater illius, qui hodie est aedituus, nescio quo servitio promeruit, quod Soldanus hanc ecclesiam sibi pro munere donavit, ut sibi inde quaestum a peregrinis conquireret. Accepta ergo ecclesia videns, quod Christiani eam cum magno furore visitarent, adgravavit pretium, quod intrantes sibi solvere solebant, in tantum, quod de persona non minus quam III ducatos pro ingressu habere volebat. Propter quod gravamen peregrini resignaverunt visitationem ejus, et nemo amplius intravit, et locus quasi in oblivionem venit. Quadam autem nocte apparuit in somnis beata Maria Virgo illi Sarraceno avaro, durissimeque eum arguit, dicens: mente et sensu perdite inimice Dei, et legis praevaricator, impedimentum honoris mei, qua temeritate praesumsisti claudere fores meas servitoribus meis peregrinis? Surge igitur velox, et omnibus peregrinis gratis et sine gravamine patefacito ostium sepulchri mei. Sin autem, corpus tuum vermibus scaturiet, et domus tua citius destruetur. Et his dictis disparuit. Sarracenus autem plenus timore evigilavit, et tremebundus surrexit, et omnia, quae sibi dicta fuerant, familiae suae revelavit, prohibens, ne de caetero aliquem Christianum repellerent ab ecclesiae ingressu, sed omnibus gratis aperirent et hoc posteris suis post eum fieri mandarent (B). Et ita factum est usque in hunc diem. Stantibus ergo nobis ante fores ecclesiae venit Sarracenus, vir grandaevus, filius supradicti, cui beata Virgo apparuerat, et ostium reseravit, intrareque permisit, et ad quemlibet in suo idiomate dixit: vade, et Deum adora, et virginem Mariam lauda. Ingressi autem ostium descendimus per gradus marmoreos quinquaginta duos in profundum, et cantor in descensu inchoavit alta voce hymnum: O gloriosa domina etc.

Quem nos prosecuti cum magno gaudio cantavimus, et in ecclesiae medio ad sepulchrum beatissimae Virginis venimus, quod ingressi unus post alium tumbam sacram devotissime deosculati sumus, et cum gratiarum actione indulgentiam (††) plenariae remissionis accepimus, et post hymnum: O gloriosa

388
386
392
382
397
377
437
337
487
287

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;